

1765

med.

1768



Kern 3483 (1-14)

540



DE 9
MORBO VENEREO.



CONSENSV AC AVCTORITATE

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

P. F. MECKEL,

MED. DOCT. PROF. PVBL. ORDIN. MEDIC.

ET CHIRVRG. PHYSIC. CIRCVL. SALIC. ETC.

PRO OBTINENDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADV

DIE XXIV APRILIS MDCCLXXXVIII.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

GEORGIVS WILHELMVS SPONITZER.

SEDINO — POMERANVS.

HALAE,
TYPIS HENDELIANIS.



DE
MORBO VENEREO.

COMMISSIO AD AUCTORITATE

RECTORIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

TRACTATUS

T. F. M. E. C. K. E. L.

EST DOCT. THEOL. HALL. ORDIN. MEDIC. ...
AN CHIRURGO PRAECEPT. CIRCAE AETATE 1760.

THEO. ORDINANDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADU

DIE XIVA AEBRIS MDCCXXXVIII

PAULICE DISSEPTIBIT

A. V. T. S.

GEORGIVS WILHELMVS SPONTHNER

SEDING-LEONHARDVS

HALLAE

IN AEDIBVS HALLENSIVM





PRAEFATIO.

Multos de Morbo Venereo saepissime et elegantissime scripisse, licet sciam; eo tamen me excusatum fore puto; quod propria cogitata et quae de hoc morbo me docuit experientia, tantum proponere susceperim. Eo minus quendam fore reor, qui me vituperet, quod de quibusdam solummodo morbi symptomatibus legerim. Noua proponere adeo arduum hodie opus esse scio, vt, si vbique ea B. L. non reperias, attendas velim ea tantum, in quibus ab aliorum meae opiniones differunt; vel vbi res aliter propono.

DE
MORBO VENEREO.
PARS PRIOR.

§. I.

Quae e miasmate venereo in corpore oriuntur mala; varie se habent. Non minus solidas quam fluidas afficiunt partes et eorum symptomata pro qualitate ipsius miasmatis, pro qualitate corporis aut partium, quae eo afficiuntur, nec non pro ratione aeratis et durationis morbi quam maxime differunt. Nunc morbi illi venerei maxima cum vehementia exagitant corpus, nunc sunt leniores et, variis quoque sub formis apparent, ut variolarum, tumorum, ulcerum, inflammationum cet. Quos quidem morbos scimus praecipue eo tempore maximo cum furore saevisse, cum medici eorum naturam nondum satis perspicere, neque iis remedia apta opponere valerent.

§. II.

Symptomata miasmatis venerei sunt vel *idiopathica* vel *sympathica*, *primaria* vel *secundaria*. Eorum duplex est genus, quod prae reliquis attentionem meretur. Unum excretiones vitiaras, alterum *ulcuscula* complectitur. Vtrumque irritationem partium affectarum, sensibilitati earum proportionatam, sequitur, unde inflammationes, se - et excretiones auctae diminutaeve, spasma, dolores, pustulae, ulcera sic dicta *canerosa* nascuntur.

Sym.

Symphatica sunt mediati effectus irritamenti. Evanescent igitur cum idiopathica tolluntur; subinde tamen varia mala relinquunt, quia idiopathica fieri possunt. Inprimis vero mihi notatu digna esse videtur divisio in *primaria* et *secundaria*, quorum quidem illa sunt mere localia; haec vero non nisi tunc apparent, quando humores miasmate illo jam sunt infecti.

Primaria jam tertio die, aut saltem post aliquot hebdomates conspiciuntur a tempore infectionis. Quodsi vero serius apparent, potius habendi sunt effectus sanguinis jam inquinati et tunc non solum in ipso infectionis loco, sed etiam in aliis locis producantur v. c. in collo, in capite, pectore, cruribus. Ulcera tum fiunt quae colorem purpureum habent. Pus eorum plerumque viscidum, malique odoris. In internis oris angulis, in faucibus, in labiis conspiciuntur; ad anum condylomata, maculae venereae, et gonorrhoeae. Sequelae larvatae sunt dolores nocturni capitis et artuum, asthma, tussis dolores colici, epilepsiae, phthises, febres hecticae et aliae.

Degenerat saepe hoc miasma in morbum scrophulosum, quod quidem maxime videmus in liberis parentum lue venerea laborantium, chronicis, non vero venereis, malis e. g. herpetibus, tineis, oculorum affectibus obnoxiiis. Miasmatis etiam incidit complicatio cum scorbuto, arthritide, cum rheumatismo &c. quin mors sequi potest. Quodsi humoribus miasma nondum intime commissum est, functiones minus turbantur; quo diutius autem humoribus inest, eo magis actiones corporis vitiantur, quod lassitudo, vitia digestionis, facies pallida cachectica alia docent. Mens ipsa afficitur, ut quae abiecta est.

§. III.

GONORRHAEA VENEREA.

Haec vt irritationis effectus, quem miasma venereum in urethra praestat, considerari debet; auget eandem inflammatio, plerumque tantum erysipelacea, urethrae, ab ea ipsa irritatione producta. Consistit enim in effluvio humoris mucosi, nunc magis nunc minus colorati, cum titillatione et dysuria post infectionem veneream exorti; estque effectus vel primarius, vel secundarius; hoc loco vero non nisi de illo agitur. In tria gonorrhoea dividi solet stadia: in stadium *infectionis*, *inflammationis* et *relaxationis*.

Infectionis stadium incipit a tempore concubitus impuri et usque ad stranguriae ortum perdurat. Interdum quasdam modo horas, interdum sex octo pluresve dies aut septimanas durat. Cognoscitur e titillatione plerumque non ingrata profluunt quoque guttulae quaedam humoris mucosi satis puri. Quodsi sensatio illa fortior fit, satyriasis vocatur venerea.

In stadio inflammationis essentialis est stranguria, praecipue sub initium mistus. Glans penis est tumida et ostium urethrae cum rubore fiat saepissime. Excretiones sunt frequentiores et tenuiores diversique coloris. Violenta inflammatio impedit excretiones, et tunc gonorrhoea vocatur sicca. Si penis curvatur instar chordae, gonorrhoeam appellamus chordatam. Oriri quoque possunt testiculorum inflammationes, quae quidem periodus octo - quatuordecim dies; non nunquam vel mensem durat. Hac periodo finita.

Resolutionis stadium initium capit. Dysuria minus vehemens, liquor profluens frequentior, sed minus coloratus, non adeo acer et magis viscosus, periodoque ad finem vergente limpidus

pidus aquae instar paucissimisque tantum guttulis exstillat. Qui quidem status pro ratione temporis vel quasdam perdurat hebdomades, vel quoque minori temporis spatio finitur. Vero enim vero hac periodo, si contra regulas diaetae peccatur, haud raro ille status, quem gonorrhaeam benignam vocare consuevimus, oritur. Si vero inflammatio vehemens est, vel ad ipsum collum vesicae urinae pertingit, ulcera oriri possunt, excreffentiae in perinaeo, nec non exulcerationes in glandulis Cowperi in vero montagnio; tuncque *proprie* gonorrhoea dici potest. Rarissime gonorrhoea in gangraenam transit.

B V B O.

Est tumor, in inguine a miasmate venereo productus; atque vel primarius vel secundarius, idiopathicus aut sympathicus. Pro corporum diversitate in *phlegmonodem*, *oedematodem scirrroidemque* dividitur.

Phlegmonodes velocissime oritur. Dolor, adest vehemens cum febre conjunctus, plerumque transit in suppurationem.

Oedematodes minorem dolorem comitem, sedemque in glandula inguinali habet. Facilius resolutione quam suppuratione terminatur.

In scirrhode cutis fere absque inflammatione reperitur, aut saltem post longiorem demum moram inflammatur. Glandula parum dolet, tumorque vix resolutione aut suppuratione tollitur.

C O N D Y L O M A T A.

Sunt verrucae variae formae. Si primariae sunt, non raro inveniuntur in glande penis, in praeputio;

Si vero secundariae, apparent praecipue in scroto et ano. In faeminis saepe pugnati magni

tudinem aequant. Manent integros annos et tunc saepissime, mere sunt morbi cutanei.

§. IV.

Miasmatis *propagatio* valde variat. Videtur vero praecipue requiri dispositio quaedam singularis. Subinde enim inter plures tantum quosdam infici scimus, cum vna eademque foemina coitum exercentes; quid? quod sunt homines, qui, vt ita dicam, priuilegio, impune voluptatibus venereis indulgendi frui videntur. Non defunt etiam, in quibus miasma diu latet, antequam se prodant. Inueniri etiam exempla perhibent, miasma illud integros annos in corpore delituisse, Inprimis vero illae partes infectioni obnoxiae sunt, quibus subtilis cuticula superinducta est. Hinc praesertim genitalia, labia, etc. Facillime itaque inficiuntur osculantes, nec non lactantes, quarum mammis infantes miasmate venereo contaminati admouentur. Latrinis etiam miasma propagari potest. Per aerem contagium fieri posse, iure meritoque dubitatur; quod etiam valet de exhalatione; alias enim medicorum pessima esset conditio. Longe vero aliter iudicandum esse mihi videtur de hominibus qui lectis hominum, lue venerea laborantium vtuntur; hoc enim in casu contactus iam est propior. Poculis factam propagationem non nego, rarius vero hoc incidere, quam multi recentiorum putant, crediderim. Malum etiam hoc esse saepe hereditarium atque transitu per vaginam in parturitione, item braccis, indusiis et instrumentis chirurgicis disseminari posse libenter concedo.

§. V.

Licet hic morbus facile *diagnosci* posse videatur, phaenomena tamen inueniuntur praecipue in laruaris secundariisque affectibus, qui sunt adeo acqui-

aequivoci, ut sola autopsia non sufficiat ad verum inuestigandum. Pus in scrophulosis ulceribus valde simile est puri venereo, et tamen haud concedere possum, omnes morbos scrophulosos esse venereos. Signa itaque laudata e. g. pustulae purpureae, lata basis variolarum, hoc porro quod scabies venerea occupet faciem, latae vesiculae, quae non pruriunt, dolores nocturni ossium, tphi, signa sunt valde dubia; quin varia phaenomena in genitalibus comparentia, non semper et absolute labem veneream corpori adpersam esse produunt. Mala venerea non nisi forma patent, et quale argumentum incertius magisque fallax est, quam illud, quo a sola forma ducimur ad materiam ipsam? morbos diuersae materiae in forma convenire posse, negari nequit, et v. v. scabies vehementes oculorum inflammationes producere potest, non minus venereum miasma. Quis vero est, qui ex ipsius inflammationis qualitate diiudicare possit, cuius naturae sit, nisi ad antecedentia respiciat? Solus intuitus materiae gonorrhoeae quam maxime fallit, neque sufficit ad miasma venereum dignoscendum. Dolores vehementissimos aequae ac colorem viridem ex acri materia in corporibus sensibilibus oriri posse, neminem fugit. Quid impedit itaque, quo minus statuamus, vlcus in glande penis oriri posse non venereum. An genitalia non nisi miasmate venereo affici possunt? Vidi hominem, in cuius faucibus vlcera erant, a quibus uvula et partes adiacentes destruebantur; alium noui, in cuius glande ab acri liquido in Tisonianis glandulis vlcera oriebantur. Neuter horum laborabat morbo venereo, quantum nempe testimoniis fides haberi potest. Ipsa vero aegrotorum confessio maxime confert ad morbi diagnosin.



Nec vero desunt casus, vbi miasma in corpore latet, adeo vt homines ipsi hoc ignorent, e. g. maritus cum vxore miasma communicare potest, ne minima quidem infectionis vestigia in genitalibus gerens. humorum vero infectio in vxore, quae magis disposita est, erumpit. Scimus enim experientia magistra miasma refoetum plures annos in corpore delituisse; potest itaque labente hoc tempore miasma primitiuum a marito in vxorem transire. Multae itaque inueniuntur vxores, fluore laborantes albo, quem plane non putant venereum, mirum quoque est maritum ab vxore non magis infici. Quare etiam mariti ab vxoribus alienis infici possunt, licet quam certissime sciant, maritos harum vxorum illo morbo haud laborare. Quodsi itaque ad plures rerum rationes simul animum aduertimus, diagnosis reddi potest facilior.

§. VI.

Quod ad *sedem* miasmatis attinet, primum in vasa lymphatica a loco infectionis transire videtur, quia transitus eius a parte ad partem tam facilis est, quod quidem bubones et generatim systema glandularum confirmare videntur. Quodsi vero iam diu ibi latuit, ferosi et oleosi humores mali participes fiunt, vnde oriuntur ossium dolores eorumque corruptiones.

§. VII.

Vera huius *acrimoniae natura* nos fugit. Patet vero e modo propagationis, istud miasma non tam volatile esse, quam variolarum miasma, ru-beolarum etc. Ab initio vero si non volatilius, certe acrius quam nunc fuisse videtur; nostra enim aetate homines non amplius tam tristes illius effectus experiuntur, quam quidem olim expertos esse historia suadet. Corporibus infinita
eius

eius communicatione facta jam, ut ita dicam, familiarius redditum esse videtur. Inveniuntur enim homines hoc morbo laborantes, qui licet nullum consulant medicum, non magnos experiantur partium destructiones. Quid? quod haec mala saepius adeo diminuuntur, ut aegroti vel plane nulla vel saltem exigua sentiant incommoda. Obseruavi cancrum venereum in faucibus, vbi ne quidem de glutitio aegroti molestiam creabat, et vlcera per aliquot menses perdurabant, sic tamen, vt substantia solidorum parum detrimenti caperet. Vlcerata ipsa, nullo adhibito remedio, euanescebant, aliquot vero mensibus interjectis semper redibant. Certum est multum hic ab ipsius corporis constitutione pendere, a diaeta, climate &c. Quis enim est, qui nesciat, hoc malum e. g. in terris australibus majori cum furore saeuisse, quam in borealibus? Magnam etiam, pro dispositionis varietate, ipsius corporis vim esse in symptomatibus producendis experientia nos docet. Homines enim minus irritabiles, quorumque humores sunt pituitosi, ad bubones et cancrum, illi vero qui robustiori gaudent corporis constitutione ad gonorrhoeam magis procliuus sunt. Vel ex ipsa ejus communicatione patet, hoc miasma esse subtile quidem, non vero volatile; supponit enim semper contactum per phaenomena allegata. Subtilitas ejus etiam eo aparet, quod non semper nos saluos faciat mundities. Quod vero sit acidum aut alcalinum, de eo omni jure dubitare potest; effectus enim illius cum nullo horum recte comparari possunt.

§. VIII

Quod ad *ortum* miasmatis venerei attinet, illud nunc quidem in corpore ipso generari negant et pernegant; sunt vero, qui existiment, illud

lud olim occasione epidemiae obortum esse. Cum vero omnia, quae hac de re scimus, sint maxime incerta et dubia, de ipso ne quidem rerum confluxu, quae huic malo occasionem praebuerunt, certi aliquid dici potest. Quodsi haud dubium esset, hoc malum in terris calidis ortum traxisse, climatis calores, hominum immundities, alimenta &c.; causae allegari possent. Sunt etiam saepe qui dicunt, se hoc malo laborare nulla praeuia infectione; parum fidei plerumque verbis eorum habemus, quia experientia illis repugnare videtur, licet negari nequeat, fieri posse, ut hoc malum sine infectione oriatur.

§. IX.

Quod ad prognosin attinet; mala venerea plerumque aut chronica sunt, aut acuta. Plerumque etiam non crisi, sed lyfi solvuntur eaque non assimilatoria sed euacuatoria, nempe saluatione, diuresi, diaphoresi. Mala alta vadicata difficulter tolluntur, utique cum in iis remedia alias indicatissima subinde locum non habeant.

PARS POSTERIOR.

§. X.

Indicationes eo redeunt, ut *miasma extirpetur* et hoc facto, *solida corroborentur*.

1. *num* non nisi *mercurii usu* impetrari potest, idque duplici *methodo*; prout nempe eo vel *saluatio* excitatur vel *extinctio* praeparatur.

Antequam vero ad has methodos inquirendas nos accingamus, necesse esse arbitror, ut de indicato, licet propter pagellarum angustiam generaliter tantum, aliquid dicam.

§. XI.

Mercurius est metallum, conflatum e phlogisto et terra propria metallica. Variis eum modis

dis cruciarunt, qualibet vero forma vim in miasma venereum retinet, siue adhibeatur *forma metallica* siue *intime cum acidis* conjunctus.

Illa metallica forma, cinnabari olim ad suffitum utebantur, propter vero incommoda, quae hoc usu oriebantur, usus ejus abolitus est. Commixtio mercurii viui cum adipe porcino nemini non nota est. Sulphure viuo mercurio trito, fit aethiops mineralis &c. -

Quae vero remedia hoc premuntur incommo-
modo, quod propter commixtionem mere mechanica-
m, in corpore humano, vel jam in vitro
e menstruo separentur, quod e. g. perspicitur in
solutione Plenckii, ideoque sunt remedia parum
tuta.

Intimae mercurii cum acidis uniones, chemica
praeparatione fiunt. Sic mediante acido salis su-
blimatus; mercurio viuo vero admixto: mercurius
dulcis oritur &c. -

Producunt vero generatim malos eosque non
paucos effectus. Nam propter virtutem caustica-
m, facillime spasmus, vomitus et quia etiam fa-
cile visceribus adhaerent ventriculi intestinorum-
que inflammationes proxerunt, vt jam de chroni-
cis malis inde ab eorum usu subnatis nil dicam.
Quaedam etiam eorum non nisi ad usum exter-
num spectant e. g. mercurius praecipitatus ruber.
Haec vero meliori jure remedia radicalia, *illa* tan-
tum palliativa nominari possunt.

Quaeritur vero, quomodo mercurius istos
effectus praestet? Varias hac de re sunt opinio-
nes. Astruc e. g. tribuit illi *vim mechanicam*, affir-
mans eum propter partes constitutivas quam
maxime divisibiles et ob grauitatem suam specifi-
cam in minima vasa penetrare posse. Qua qui-
dem ex causa; eum topicos resolvere posse; nam
velo.

velocitate centies majori quam sanguis, per vasa moueri eoque sanguinem fere in humorem lymphaticum transformari; ipsam etiam docere experientiam, eo omnes excretiones, praesertim salivae, largiores fieri.

Sunt vero alii, qui mercurio inesse dicunt affinitatem cum miasmate, objicientes: si effectus illi causa sanationis essent; necesse esse ut semper magna quantitas mercurii requireretur, experientiam vero docere, symptomata etiam sine saluatione evanescere, et drachmam unam sublimati tantum efficere, quantum plures efficiant inunctiones.

Videtur quidem vtraque opinio conjungenda esse nam virtute priori mercurius careret in minima vasa massamque solidissimam non penetraret, et si posteriori destitueretur vi, (quam vero affinitatem chemicam appellare nollem) saluatio copiosissima miasma penitus eradicare non posset.

Equidem putem, rationi consentaneum esse, hic ingenue nostram fateri ignorantiam; vtraque enim explicatio modi agendi huius metalli mihi quidem non nisi hypothesi inniti videtur. Quod eum modum, quo vi grauitatis mercurius actionem suam praestare asseritur; hunc facilius quidem perspicui posse apparet, sed de affinitate ista, quam adstruunt quidem, nihil omnino cognitum habemus.

Ejusmodi vero qualitatem specificam haud valere posse, ex eo apparet quod saepe miasma in corpore remaneat, curatione quamvis optima instituta, quod multis annis post denuo erumpit. Quod mercurius vero orgasmum in corpore excitet, non potest negari, et inde etiam facili negotio perspicitur, quid causae sit, cur malum saepius vsu mercurii augeatur, quia nempe corpora peruatit nimis sensibilia.

§. XII.

§. XII.

Sequitur, vt vtramque supra indicatam methodum consideremus. Non est, quod harum methodorum historiam, vt satis, superque notam, tradam; de vtilitate potius, et vitiis earum dicam.

Ad excitandam saluationem. mercurialem, praecipue vtimur inunctione. Vnguentum compositum est ex adipe porcino et mercurio viuo aequalibus partibus. Quodlibet aliud additamentum noxium est; quo magis enim est irritans, eo minus absorbetur mercurius. Quantum vero requiratur vnguenti ex constitutione symptomatibusque apparebit e. g. symptomata leuiora minorem requirunt dosin quam grauiora. Quodsi vero remedium hoc quamuis diutissime continuatum omni destituatur effectu melius esse arbitrarer, remedium adhibere quamuis minus efficax e. g. solutionem Plenckianam.

Saluatio lenis et tardius orta magis salutaris, nam symptomatum euanescencia non prodest, nisi excretionibus factis, aegrotto. Est autem saluatio lenis, si spatio viginti quatuor horarum salivae libra vna ejicitur. Malum vero, si lingua valde tumet, si plus quam duae mensurae salivae ejiciuntur, aegrottoque lassitudine, suffucationeque correpto.

Durante curatione decocta lignorum quam maxime pro sunt aegrotorum corporis constitutioni accommodanda. Ob nimiam saluationem balnea commendantur tepida. Relaxant vero cutim, et metuendum est, sub eorum vsu, ne mercurius nimis cito e corpore educatur. Purgantia non nisi cum circumspectione sunt adhibenda. Antifialagoga vera inueniri dubito; camphora interim prae ceteris laudem meretur, licet illi non nisi mediatos attribuendos esse effectus existimem.

Maxi-

Maxime etiam conuenit caput seruare frigidum, collum, pedes et abdomen calida; etiam gargarismata non sunt negligenda.

Praeter saluationem nimis largam, haec methodus eo etiam premitur incommodo, quod nunc plus, nunc minus mercurii absorbeatur viresque, ea nimis consumantur.

Methodus curatoria per *extinctionem* vlu sublimati continetur. Vt remedium hoc parvulis possit adhiberi dosibus, Swierenius quidem solutionem eius in spiritu vini suadet; ob nauseam autem facile superuenientem, conuenientius est, aquam destilatam, spiritus vini loco, adhibere. Ex mica panis albi et mercurio sublimato etiam pilulae praeparantur, vel Mercurius sublimatus cum Roob. sambuci commiscetur.

Quantum vero temporis spatium hoc medicamentum usurpandum sit, non nisi e symptomatum qualitate diiudicare potest. Hic vero facile falli passumus, praesertim si symptomata breui tempore euanescunt. Quatuor circiter aut sex hebdomadibus elapsis intermitteri potest vsus.

Praeter ea mala, quorum in praeparatorum contemplatione iam mentionem fecimus, alia quodque inferre potest, et praecipue cauendum est, ne haemorrhagiis, affectibus pectoris etc. locum demus. In infantibus, hypochondriacis, morbofisque intestinis laborantibus maximopere euitandus est, vt et in phthisicis, etiamsi phthisis causam habeat veneream, nec non in grauidis. *) **Et**

*) Praestat quoque solutio mercurii sublimati pilulis, dummodo satis prouide agatur; illae sane difficilius, quam quis putet, in ventriculo solvuntur, praecipue non recentes. Vidi magnam earum et compactarum quidem quantitatem per alvum excretam esse. Quae interdum mihi videtur esse ratio pertinaciae huius morbi. Haud raro enim primae viae tam debiles sunt, vt vel minima irritatione pilulae excernantur.

Etſi methodus haec non requirit, vt diæta feruetur exacta, ſumma tamen ope cauendum eſt, ne corpus nimis debilitetur. Aer purus, minime frigidus maxime commendandus eſt.

Poſſunt vero in curatione res accidere, quæ nos cogunt uſum illius medicamenti intermittere, e. g. ventriculi affectiones. quæ vel a medicamento ipſo vel a diætae vitiis proueniunt. In *priori* caſu potus diluentes, atque inunctiones antiſpaſticae in uſum vocari debent. Hepar ſulphuris hic videtur indicari, ſed propter acrimoniam, anceps eſt remedium, et multum nocere poteſt, quia facillime vomitus inde excitantur. Quodſi vero *poſteriori* in caſu adſunt indigeſtiones, melius erit, alvum leniter ducere et vomitum maxima cum cura euitare; dolendum vero eſt, eiſmodi medicamenta parum eſſe in medici poteſtate ſita ipſe enim ſcio, laxantia quam leniſſima, vomitus excitaffe.

§. XIII.

Antequam ad curationem ſymptomatum ipſam accedam, non erit alienum a re, de *praeparatione* quaedam dicere. Indicationes et contraindicationes in praeparatione ab anni temporibus, a morbis cuiſlibet anni tempori propriis, et a corporis habitu deriuantur. In ſymptomatibus primariis non magni eſt momenti et tantum conſiſtit, in ſanguinis maſſae dilutione per venaefectionem, vt mercurius melius agere poſſit. Quod vero tantum locum habet in plethoricis, et ſæpiſſime obſtupui videns, quantopere emaciarent medici venereo morbo laborantes. Tam verum eſt quam quod veriſſimum, omnia omnino medicamenta non niſi corporis viribus efficere aliquid, triſtis enim docet medicum experientia veſecatoria e. g. nullum plane producere effectum in febris

putridis nisi corporis ipsius vi vitali sustineantur. Omnia saepe nutrientia Venere laborantibus interdicerent solent cum potius omnem operam viribus aegrotorum conseruandis nauare deberent. Miseri illi homines iam miasmate non raro magnam contraxerunt discrasiam et mercurio adhuc magis destruantur vires. Omnia pendent ab actione et reactione, neque haec sine iusta virium quantitate obtineri possunt; et ratio mali euentus in curandis morbis venereis sine dubio etiam in eo posita est, quod mercurius ob. virium infirmitatem non satis moueri queat, et videmus vim morbi denuo prorumperè, quam primum vires restaurari incipiunt. Purgatio primarum viarum eo magis instituenda, quod facillime sordes solutae cum mercurio in sanguinem resorbentur. Sed et hic vidi mercurium vomitus excitasse turgescientiam cruditarum adiuuantem. Diuretica et diaphoretica maxime profunt, caueas vero ne modum excedas, et aegrotis minus bene digerentibus conueniens erit primas vias antea corroborare, antequam curationem instituamus. Cui quidem vltimae cautelae optimum respondiſſe euentum multoties obseruauit. Decocta diluentia etiam potissimum adhibenda sunt, praecipue in cholericis. In phlegmaticis, guaiaco, stipidibus dulcanarae, turionibusque pini, maximo cum effectu vsus sum. Tunc mercurius dulcis a multis adhibetur, dosis vero parvula sit eius, ne mercurius loco purgantis agat.

Haec vero curatio praeparatoria in inueteratis symptomatibus necessitatis est, quia nihil potest inueniri magis nocivum, mercurio in corpus non antea praeparatum penetrante. Neglectus etiam huius potuit ansam dedisse malis quae ex vsu huius medicamenti aegroti experti sunt. Inprimis
vero

vero transpirationis suppressio euitanda; non ignoramus enim, mercurium saepissime in ligamenta ossa etc. depositum esse. Etsi motio corporis in aere puro maxime conueniens. est vt effectus mercurii eo magis augeatur, valde tamen cavendum est a motibus vehementioribus et ab orgasmis inde oriundis. Nec non a purgantibus vehementioribus abstinendum. Balnea tepida: semper vero circumspecte sunt adhibenda.

§. XIV.

Symptomatum primitiua, non nisi medicamentis internis simul adhibitis curari possunt. Sunt quidem, qui putant, miasma topica applicatione transmutari, experientia tamen docuit magnopere nocuisse hanc curandi rationem idque propter miasma repulsum. Hic tamen tam intima mercurii cum miasmate commistione non opus est. Sunt etiam nonnulli recentiorum suadentes, dosin et continuationem eius qualitativibus symptomatum dimetiendas esse. Affirmant nempe, si sola adhibita interna curatione, symptomata evanescant, certissime posse concludi, miasma esse extinctum. Etsi hoc consilium vituperare non audeam, scimus tamen experientia magistra, nos parum huic symptomatum intermissioni fidere posse, inprimis si statim post medicamentorum applicationem accidat. Saepissime enim observaui, miasma locum mutare aut in corpore inefficax aliquamdiu latere; quamquam huius rei rationem assignare non possumus. (Quodsi mercurii naturam perspectam haberemus, his de effectibus iudicare possemus.) Praestat igitur, vt iam supra de vsu sublimari diximus, curationem symptomatibus et convalescentiae durationi accommodare; certe enim nunquam affirmari potest, miasma e corpore esse sublatum.

Enim vero interdum vlcerum ea est pertinacia, vt topica adhibenda sint. Aut velociter vlcera se extendunt, praecipue si adhuc alius morbus e. g. scorbutus cum venereo morbo complicatus est. Memini casus cuiusdam, vbi breui tempore, e parvulo vlcere in labiis vulvae vlcus putridum oriebatur, quod ad cristam ossis ilei eiusdem lateris extendebatur. — Quibus incasibus curatio topica instituenda. Si mercurius vrinam pellit, maior erit spes sanationis, quam si alius sit laxa, et tunc diuretica istos salutare effectus adiuvant. Non semper necesse est salivationem magnam excitare, illa nos tantum certiores facit de mercurii effectibus; non raro enim accidit eum per alvum excerni.

§. XV.

In *symptomacibus secundariis* curandis, lenia non sufficiant mercurialia, sed requiritur, ut ineamus methodum medendi, secundum ea, quae supra allegavimus, aegroti statusi accommodatissimam. Miasma enim tunc frequenter in latebris latet. Nonnumquam etiam usu remedii, per longum temporis spatium continuato, opus erit, semper tamen ad digestionem viresque corporis respiciendum. Quodsi istae nimis diminutae et jam multum mercurii corpori inest sarsaparilla et lassifras lignum et cortex adhibenda sunt, quo facto saepe denuo salivationes per mercurium, in motum actum, oriuntur. Solida si nondum magnum detrimentum ceperunt, *vocentiores*, mezereum lobeliam syphiliticam et longifloram maximo opere commendarunt, quae vero non nisi cum maxima circumspectione in usum trahenda. Daphne mezereum magnae est utilitatis in tophis; semper autem necesse est ut althaeae radicem et liquiritiam addamus. Illud enim minus provide adhibitum, cardialgiam spasmus, et colicos vehementissimos dolores produxisset, observavi. Mercurii vivi solutio, in spiritu nitri fumante (interne adhibita), in inveteratis ulceribus per salutaris est. Eximii fuit usus in curando homine triginta annorum, qui jam per annum et quod excurrit nocturna laborabat cephalaea. Sed incipiendum, a dosibus minutissimis; aequae enim eum, ac mercur. Sublim. induxisset malos effectus observavi. Largiter praecipue bibendum est hoc remedio utentibus.

§. XVI.

Aliis morbis aut singularibus accidentibus hoc cum malo complicatis, inquirendum esse reor; an mercurius his morbis jam per se noceat, aut tantum in eo casu, si illa cum malo venereo jam diu complicatae e. g. in symptomatibus scorbuticis antea scorbutus tolli debet. In morbis scrophulosis rarissime mercurialia profunt praecipue si jam ad magnum increverit gradum hic morbus, solidis nimium iam labefactatis. Gravidis per mercurium magnum potest inferri malum e. g. abortus, haemorrhagiae &c. Hinc crediderim casus esse minus frequentes, quorum celeberrimus Selle meminit, gravidarum, quae vehementissimas salivationes felicissime pertrulerunt. Opus etiam erit, mercurialibus lenibus, ne foetus miasmate interimatur. Infanti contaminato porrigi potest syrupus Plenckii. Periculosum vero foret uti inunctionibus et mercurialibus acerbis. Matri etiam mercurius dari potest, qui cum infante vi lactis communicabitur. *)

*) An fluxus menstruus sit contraindicans? dubito. Provide tantum hoc remedium adhibendum esse putem. Quid? quod credi-

crediderim eum conditionibus quibusdam praesentibus hic eximii esse usus. Foemina mihi innotuit, quae tempore menstruationis ab omnibus liberabatur symptomatibus, lues venerea qua laborabat nullis uteretur mercurialibus.

§. XVII.

Curatione venereorum symptomatum quam optime peracta, curandum est ut mercurius e corpore educatur, eum enim ibi manere posse, nemo inficias ibit. Me quidem iudice nulla dantur specifica, quae id praestent, sed mediate hoc tantum per secretionum excretionumque augmenta assequi nos oportet; quod quidem respondet indicationi supra dictae, *quaque corpori robor addendum esse praecipitur*; fere enim iisdem nobis opus est remediis. Functionibus quoque totius corporis *recte* restauratis non metuendum est, ne mercurialium pars aliqua adhuc in corpore supersit. Itaque propriis remediis ad obtinendum, hunc finem carere possumus. Res enim est notissima, vires vitales eo omni ope inniti, ut quaevis heterogenea expellantur; mercurius autem nunquam pars homogenera corporis fieri potest. Inducantur itaque nutrientia e. g. juscula ex oryza, sagu &c. parata. Roborandi scopo martialia cum cortice &c.

Oua recentia omnibus praeferenda. Nullum enim crediderim esse alimentum quod tam facile humores amissos restauret. Praesentissimum auxilium praebuerunt corporibus valdopere emaciatis; efficiunt quidem nonnunquam pollutiones, quibus vero obviam ivi camphora. Quoad usum corticis et ferri selecti, non nisi extractum ex his, corporibus valde debilibus praebendum. Facillime enim ex irritatione eorum, in canali intestinorum saepe omni muco ac liquido vacuo, violentissimae diarrhaeae oriuntur, quas omnia omnino remedia elusisse, vidi.

§. XVIII.

Iam ad curationem quorundam specialium symptomatum.

DE GONORRHAEA.

Indicationes eo redeunt *ut inflammationi occurramus, et fluxum, si opus augeamus, et denique partes roboremus.*

In primo stadio nullis remediis opus esse, a quibusdam medicis asseritur, nec vero desunt, qui purgantia suadent. Res autem periculosa est, quod purgantibus interdum ansa datur resorbtioni miasmatis. Nec minus injectiones adstringentes fugere debemus, quippe quae vehementes producere possunt inflammationes, quamquam non nego illas etiam quibusdam sub conditionibus his adhibitis tolli posse. Optima remedia mucilaginoso sunt decocta inprimis vero cataplasmata

mata emollientia magnum praebent vsum peni adplicata, quibus quidem remediis secundi stadii vehementiam, praeuenimus.

In secundo stadio non aliter ac in reliquis inflammationibus procedimus. Semper tamen respiciendum ad primarum viarum conditionem, quae necessitate cogente leniter a fordibus purgandae sunt; quo facto saepius inflammationem diminui obseruavi. Nitrum magnis proprinatum dosibus, non tamen sine mucilagineorum admistione. Etsi hoc medicamento urina acrior fit, non tamen est quod hoc curemus quia inflammatione diminuta, stranguria diminuitur. Althaeae et seminis lini decocta maxime salutaria sunt. Licet videatur, hoc in periodo camphoram non indicari utiliter tamen adhibetur, dummodo rite hoc fiat. Sub finem periodi optimos producit effectus cum nitro commista. Impedit, quae tam facile tunc oriuntur, pollutiones, et priapismos, quibus hoc malum sua ipsius natura jam molestum est. Phlegmaticis nequaquam vero irritabilioribus camphora convenit. Imperandum vt hoc medicamento utentes multum bibant; etiam diaphoresis est promouenda, quia rigidae cuti facile anxietates superveniunt pectoris. Et ratio dissensus medicorum de camphorae effectibus, forsitan quaerenda in eo, quod caute lae, quas dixi, neglectae fuerint. Remissa dysuria effluxuque adaucto.

Tertium incipit stadium. Si secunda periodo omnia rite peracta sunt, in hoc stadio saepe exiguus est labor. Decocta diuretica, balsama nativa e. g. Copaiba, Therebinthina &c. adhibenda; sed cavendum est, ne inflammationes inde producantur. Quando materia magis magisque diminuitur et instar aquae limpidae fit, adstringentia suadentur v. c. cortex, alumen, &c. Quae periodus saepe pessima est, si nempe frequenter aegrotus veneri indulget. Tunc enim remedia valdopere laudata destituuntur effectu. Dolor tunc renovatur, qui non tam ab inflammatione quam a spasmo pendet. Hoc in casu opium c. ipecacuanha salutare fuit, modo aegroti non homines sint valde sensibiles, quia, quod ipse pluries obseruavi, ipecacuanha non semper malos opii effectus impedit. Mercurialia in prioribus stadiis noxia, in hoc non nisi inutilia esse medici docent: *)

*) Affirmant mucii secretiones iis augeri, secundaria symptomata non esse metuenda, quia experientia docuit, luem venereum non sequi gonorrhaeam. Alii autem e. g. cel. Schwediauer huic sententiae non favent. Concedant vero saltem, isti medici: licet non venereae oriuntur sequelae, alia tamen mala e. g. oculorum inflammationes, scrophulosos tumores &c. inde proveniri. Statuunt itaque etiam medici miasmatis diversitatem quam vero ex mea quidem opinione defendere vix licet, (nisi enim non omnia, vt multi consueverunt *universim* explicare veli-

velimus.) veresimile hoc ita etiam fieri posse, vt miasma per urinam tempore aliquo peracto effundi et expelli. Quod vero illud diu in urethra remanere possit, ex eo perspicitur, quod primum stadium nonnunquam vel quatuordecim perdurat dies. Quia autem urethra pars quam maxime sensibilis est, huius irritationis effectus sunt vehementiores aut mitiores, pro partis affectae dispositione; possunt itaque isti durare effectus in urethra, quamquam miasma non amplius adfit. Remittente inflammatione, frequentiores muci oriuntur excretiones, quae vero in parte affecta acres sunt, et quoniam ea vasis resorbentibus non caret, mucus resorbetur, et omnia mala efficere potest, quae quaelibet alia acrimonia producit, e. g. glandulorum obstructions &c. Quibus suppositis etiam concipi potest, cur supra laudata cataplasmata tam egregie fuerint usus in stadio primo, quia illis tensiones fibrarum e miasmate productae diminuantur. Itaque gonorrhaeam si ad causam respicimus, *veneream*, effectus consequi possunt non venerei. Quodsi vero secundum assumimus argumentum resorptionem nempe miasmatis, neque illi reprobandi sunt qui luem inde oriri videntur veneream. Utrumque facile conciliari posse, videmus. In primo vero casu non sequitur: mercurium quia secundaria non sunt venerea symptomata, nullius esse usus aut illum esse noxium. Omnia hic pendent a modo applicandi. Nonne habemus alios morbos praeter venereos in quibus mercurius maxime praestat?

In duobus casibus, vbi nonnunquam spastici dolores sentiebantur et effluxus erat instar aquae limpidae, solutionis mercurii in acido nitri guttas I—II. bis quotidie sumi iussi; quo medicamento per quatuordecim dies continuato symptomata evanescebant. Haud raro excretiones usque ad finem coloratae sunt, cujus quidem rei causa est mutata glandularum fabrica urethrae, quas vero sine periculo impedire possumus, quia saepe hic status chronicus fit.

Injectiones non semper sunt rejiciendae, respiciendum vero est ad urethrae irritabilitatem, adstringentia autem caute adhibenda. Si autem excretae materiae malum nactae sint odorem et aeger doloribus fixis vexatur, tunc ulcera adsunt.

B V B O.

Indicationes variant ex Auctorum sententia. Alii enim *maturandum*, eum esse perhibent alii eumque negant hoc *resolendum* esse contendunt. Equidem discernendum esse puto, an sit primarius vel secundarius. *Primarium* si hoc nempe per bubonis qualitatem fieri licet, quae pendet ab aegroti corporis constitutione, et si non est sympathicus, maturandum esse, existimo. *Secundarium* vero qui potius pro metastasi imperfecta habendus est, resolendum esse, censeo, quoniam nullus inde expectari potest usus, et hac occasione facillime ulcera maligna nascuntur.

Si *phlegmonodes*: per cataplasmata resolutentia facillime maturatur. Nostra aetate optimum putarunt, eum perfecte maturare antequam aperiatur; et tunc parvo vulnere cutim incidere. Quod ad primum attinet: magni erit usus, sed ne minis cunctemur. Quoad incisionem, melius esse duco eam lato vulnere patere magnam; experientia enim docet alias ulceribus occasionem dari fistulosis. *)

*) Culpa empirici cujusdam, qui bubonem immaturum saepe inciderat, vidi, productum esse, tumorem pugni magnitudine, fusci coloris maxime dolentem, ita, vt aeger ne quidem *incidere* posset. Mercurius nitrosus tam bonos producebat effectus, vt in dosi ad quatuor guttulas, bis quotidie sumtus tumor sine externa curatione, resolveretur.

Oedematoso buboni saepissime occasio datur, cum in curando phlegmatode statim adstringentia adhibentur. Quodsi maturatio urgeretur, malignum tamen semper esset pus. Mercurialia unguenta, sub tumore infricanda, cum internis medicamentis, simul adhibendis, hic profunt.

Scirrholes fere nunquam maturari potest, qua propter ad resolutionem perficiendam, cataplasmata adhibentur aromatica. Contra haec mala, saepissime chronica, unguentum mercuriale cum extracto martis aequalibus partibus optimi usus esse deprehendi, et simul emplastrum Schmuckeri foetidum, cum mercuriali commixtum emplastro, applicauit.

Interdum cataplasmatibus applicatis tanta producitur topica debilitas, vt quodlibet remedium externum, irritatione augeat humorum adfluxum. Tunc prudentiae est interna tantum adhibere. In alio bubone male curato, aegrotus, bubone digito tacto, dolorem in regione ossis sacri sentiebat, etiam in superficie bubonis simul pustulae apparebant, quibus evanescentibus dolores augebantur et v. v. laxantibus reiteratis dolores levabantur.

CONDYLOMATA.

Si post curationem internam intra sex aut aucto hebdomatum spatium non evanescant, ad externa confugiendum est remedia. Saepissime sunt pertinacissima; adeo, vt excisa iterum crescant. Cave autem credas, illa iterum crescentia esse symptomata secundaria a miasmate producta, sed vt morbi mere cutanei consideranda sunt, e. g. id in aliis verrucis observatur. Astringentia statim post excisionem adhibita hic omnibus remediis praeferenda esse puto. Mercurialia plerumque carent usu. Ne autem excisiones frequentius saepe fiant, quia persaepe magnitudinem excedentes, dolores excitant. Etiam si plura eorum inter se cohaerent; externa curatio omittenda est; non raro temporis tractu evanescent. Deligatio etiam, noxia putatur.

W 8
PICA



D
H
S



DE

9

MORBO VENEREO.



CONSENSU AC AUCTORITATE

